

videlicet ad opera caritatis accendimus, ut ex eo reddantur divinae gratiae aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia sancti Johannis evangelistae sanctique Donati martyris in Misne congruis honoribus frequentetur, et ut opus novum fabricae eiusdem ecclesiae laudabiliter inceptum, consummetur feliciter, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad ipsam ecclesiam in festis paschae, nativitatis, penthecostes, coenae domini, dedicationis, patronorum confluerint, et qui eleemosynas suas ad structuram ipsius ecclesiae erogaverint, omnipotentis dei misericordia et beatorum apostolorum suorum patrocinio confisi quadraginta dies criminalium peccaminum de iniuncta poenitentia, si consensus diocesani accesserit, misericorditer relaxamus, praesentibus in perpetuum valituris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem wohl erhaltenen Siegel des Erzbischofs an rothseidenen Fäden.

No. 282. 1288. 8. Jan.

B. Withego und das Capitel versprechen dem B. Heidenreich von Brandenburg und dessen Capitel zu Erreichung eines kräftigeren Schutzes gegen Räuber und Befehder die von dort ausgesprochenen Excommunicationen und Interdicte auch ihrerseits bekannt zu machen und genau zu beobachten.

Venerabili in Christo patri ac domino Heidenrico episcopo, Thiderico praeposito, Conrado priori totique capitulo ecclesiae Brandenburgensis Widego, dei gratia episcopus, Bernardus praepositus, Sifridus decanus totumque capitulum Misnensis ecclesiae subscriptorum omnium firmitatem. Multorum bonorum persaepe torpet neglecta commoditas eo, quod ad restaurationem commoditatis huius modi nullius invigilarit intentio, nullius animus insudarit. Sed processu temporis ad hoc aliquo suae mentis aciem dirigente ipsa restauratur commoditas et restaurata suis cooperantibus pacis et quietis tribuit incrementum. Hinc est, quod cum pluribus tractatibus habitis iam simus evidenter experti, et tam vobis quam nobis consultum et utile videatur, ut propter frequentes praedonum, raptorum et malefactorum insultus et turbationes, quas quotidie patiuntur ecclesiae eadem, aliquo saltem et mutuae subventionis ac confoederationis remedio subvenirent. Sane credimus, si funiculus ecclesiasticae censurae fuerit triplicatus, efficacius feret auxilium contra perversorum violentias et conatus, et clerus tali suffultus praesidio dante domino liberius respirabit. Cum igitur inter alia iuris remedia praecipuum et magis efficax videatur, ut execrationum seu interdictorum sententiae latae per vos et episcopos vestros, qui pro tempore fuerint, a nobis et nostris successoribus strictius observentur et publicentur, quodocumque et ubicumque fuerit opportunum, dum tamen a vobis super iis fuerimus requisiti, nos Withego episcopus, Bernardus praepositus, Sifridus decanus totumque capitulum Misnensis ecclesiae nos et nostram ecclesiam praesentibus obligamus firmiter, ut ea, quae praemissa sunt et pro vobis statuta in conciliis Maguntinensi vel Magdeburgensi, inviolabiliter observemus. Hoc recognoscimus et praesentibus literis protestamur, quas sigillorum nostrorum impressione roborandas duximus in testimonium praemissorum. Hanc vero obligationem per decem annos continuos decrevimus duraturam. Datum Misnae anno domini M. CC. LXXXVIII. sexto Idus Januarii pontificatus nostri anno XXII.

Nach dem Copiarium eccl. Brandenb. sec. XVI. im dasigen Stiftsarchiv fol. 248^b.
Riedel cod. dipl. Brand. I. Bd. 8. S. 179.